

30  
1756, 45

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS  
**HIERONYMVS  
FRIDERICVS  
SCHORCH,**  
ICTVS

SACRI PALATII CAESAREI COMES, ELECTO-  
RAL. REGIM. CONSILIARIUS, MEMORATAE  
FACVLTATIS ADSESSOR ET PROFESSOR PAN-  
DECT. PVBL. ORDIN. CIVITAT. CONSVL SE-  
NIOR, NEC NON ACAD. ELECT. MOGVNT.  
SCIENT. VTL. DIRECTOR,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.





Ecclesiæ Christianorum ante CONSTANTINVM M.  
nullas possessiones communes habuiffe, nec ex  
testamento aut legato quicquam acquirere po-  
tuiffe, certum est. Sub Imperatoribus Ethnicis  
enim collegia illicita esse censebantur, ad quae iura Vni-  
versitatum publice probatarum haudquaque pertine-  
bant. *I. 3. §. 1. D. de Coll. g. & Corpor. I. 1. §. 1. D. quod*  
*cuiusque Vniuers. nom. I. 8. C. de hered. instit.* CONSTANTINVS M. autem, vti Ipfe post suscep tam religionem  
Christianam erga ecclesiæ admodum liberalis fuit, ita  
etiam aliis licentiam dedit, bona sua, si vellent, venera-  
bilibus locis sive conciliis relinquendi, *I. 1. C. de Sacro-*  
*sand. eccles. BALDVIN. de Legib. Constant. M. L. 1. p. 21.*  
*segg. intuitu praescriptionis tamen singulare ius ecclæ-*  
*sii non tribuit, vt pote quo tunc, cum possessiones et*  
*praedia habere inciperent, vix opus esse videbatur. Au-*  
*gescientibus deinde ecclæiarum bonis, hæc sine dubio*  
*iure communi viae, actionesque earum, non secus ac*  
*actiones priuatis competentes, longissimi temporis*  
*praescriptione exclusæ sunt. I. 3. et 4. C. de praescript.*  
*30. vel 40. annor. Verum Imperator IVSTINIANVS, vt*  
*inter diuinum publicumque ius et priuata commoda*  
*discretio esset, anno DXXXIX. in I. 23. C. de Sacrosand.*  
*eccles. sanciuit, actiones ecclæsiæ, aliisque locis religio-*  
*sis, nec non ciuitatibus, ex causa hereditatis, legati, fi-*

deicommissi, donationis aut venditionis, ob quasunque res mobiles, vel immobiles, vel se mouentes, quaefitas, non prius finiri et evanescere debere, quam si centum annorum curricula exceslerint. Eandem dispositionem, ad orientales ecclesias tantum pertinentem, postea anno DXXXV. ad totius occidentis ecclesias in *Nouell. IX.* extendit, quam licet nonnulli magni nominis ICtri supposititiam esse autument, a falsitatis suspicione sufficienter liberauit STRAVCHIUS in *Dissert. de Irner. non errant. c. 3. §. 5 y.* Quid vero Imperatorem IVSTINIANVM ad publicationem memoratae *L. 23.* permouerit, de eo eruditio non ornino conuenient. Quidam enim PROCOPII fidem secuti existimant, Eum dolo Prisci et Procuratorum ecclesiae Emesenae, quae ante plures annos a Mammiano, Viro Clarissimo et distissimo, heres scripta fuerat, inductum, legem istam, *accepta magna vi auri*, promulgasse. v. STRAVCH. c. *L. §. 2. et 3.* LEYSER. *Medit. ad n. Spec. 459. med. 8.* Sed probabilius est, Imperatorem porius ex insigni pietate, et, vt ipse in *Nou. CXL.* ait, ex religioso proposito constitutionem illam edidisse. Quanquam enim de fraudibus Prisci et Procuratorum ecclesiae Emesenae, qui occasionem calumniandi inde arripuerunt, dubitari nequit: inde tamen non sequitur, IVSTINIANVM secundum ipsorum voluntatem *pro accepta pecunia* legem in aliorum perniciem tulisse, praesertim cum Ille, deprehensa Prisci inequitia, priuilegium centenariae praecriptionis ecclesis concessum, edita Novella CXL. anno DXLI. renocauerit, et praecriptionem quadragenariam, quam eodem anno ratione ecclesiarum per *Nou. CXXXI. c. 6.* iam introduxerat, denuo confirmaverit. Quamobrem Imperatorem contra obtrectationes

nes PROCOPII grauiter defendit HEINECCIVS in Praefatione Corpori Iuris Ciuitatis, quod Lipsiae 1735. prodit, praemissa p. 16. et 17. Ex dicta Nou. CXXXI. c. 6. defumta est Authentica Quas actiones C. de Sacroſanct. Ecclesi. in qua Romana ecclesia a regula in ipsa Nouella stabilita excipitur, et quod ea sola centum annorum spatio vel priuilegio gaudeat, afferitur. Quod, quamuis in Nouella ipsa non reperiatur, nullamque proinde auctoritatem habere videatur, quia Authenticae, quatenus cum Nouellis, seu fonte, non conueniunt, omni vi obligandi destitutae esse putantur: LAVTERBACH. Colleg. Theor. Pratt. Prolegom. §. 5. in f. p. 18. verosimile tamen est, IRNERIVM, vel quisquis praefatae Authenticae auctor fuit, hanc exceptionem ex praxi usque fori, quod in aliis etiam Authenticis factum esse constat, adiecisse. conf. c. 17. Cauff. XVI. qu. 3. c. 13. 14. et 17. in f. X. de praescript. De caetero in allegata Nou. CXI. et CXXXI. c. 6. nulla de ciuitatibus mentio iniecta, adeoque disputatio inter Interpp. orta est, num illae hodienum saeculari sive centenaria praeſcriptione gaudeant? Ait CVIACIVS Obs. L. 5. c. 5 circa f. ZAHN. in Polit. Municip. L. 2. c. 60. n. 9. 10. BRYNING. de variis Vniuers. Specieb. §. 70. lit. b. eo quod quae exprefle correcta non reperiuntur, antiquae dispositioni relinquenda sint. Quoniam vero eadem rationes, quibus motus IVSTINIANVS praeſcriptionem centenariam ecclesiatarum ad quadragenariam reduxit, in Ciuitatibus militant, praeferendam esse putamus sententiam eorum, qui ciuitates nouellas ad eas etiam proferunt, praeſertim cum valde improbable fit, Imperatorem ecclesiis minus quam ciuitatibus proſpicere voluisse. conf. FACHIN. Controu. L. 8. c. 3. BACHOV. ad Treutl. Vol. II. Disp. 22.

( 3

tb. 4.

ib. 4. lit. l. et m. p. 396. HAHN. ad Wesenbec. Tit. de  
Vsurp. et v/ucap. n. VII. Sed hoc argumentum in Lectio-  
ne, quam vocant, cursoria ad l. 23. C. de Sacrosanct. ec-  
cles. vberius enucleabit

PER · ILLVSTRIS DOMINVS  
**JO. BAPT. L. B. DE BENTZEL**  
IN SIGN. ECCLES. COLLEG. SS PETRI ET VICTO-  
RIS CANONIVS,

*Jurium Candidatus dignissimus,*

cuius vita et studiorum ratio cum more Maiorum iam  
commemoranda sit, ea, quae doctissimus Dn. Candida-  
tus ipse consignauit, in sequentibus communicare non  
dubitamus.

*Primam*, inquit, die ima Iunii 1735. aspexi  
lucem, Parentibus Ios. IAC. IOAN. L. B. de BENTZEL,  
S. C. Maiest. Confiliario Imperii Aulico, Emin. ac Cel-  
fiss. Princ. Elec<sup>t</sup>. Mog. Confiliario intimo et Cancella-  
rio; et MARIA CATHARINA nata de SCHERER à CREVTZ-  
BERG, quæ tamen ante 15 annos mihi morte erepta est.  
1743. per preces Imperiales Gloriosissimi Imperatoris  
CAROLI VII. p. m. accepi præbendam ad insignem Ec-  
clesiam S. Petri Moguntiae: Studia inferiora uti et hu-  
maniora Doctore M. IGNATIO KLEINER, S. I. in eortun-  
dem Patrum Scholis posui: anno dein 1748. altera mihi  
ad insignem Ecclesiam S. Victoris Moguntiae præben-  
da per preces Imperiales FRANCISCI I. gloriosissime  
regnantis Imperatoris, Clementissime collata fuit: stu-  
dium dein philosophicum amplectens 1752. ex logicis  
principiis de 2da mentis operatione sine praesidio de-  
fendi theses, quas ex doctrina P. NICOLAI ZILICH,  
Philosophiae Professoris publici per 6. menses hauseram:  
sed

sed idem annus fatalis mihi extitit, cum 13. Augusti Patrem mors prematura mihi eriperet: absoluto de-  
nique Philosophiae curriculo, praecedente Celeberrimo  
Viro IOANNE GEORGIO NEREVTHER Emin. Elect.  
Mog. Consil. Aulic. I. V. L. Iur. Publ. Prof. Publ: Ord.  
et Vniuers. Syndic. prima juris civilis et feudalis ele-  
menta posui, dum interim juri naturae priuatos labo-  
res confecrauerim: me dein ad I. L. G. historiae stu-  
dium contuli, sub FRANC. ANTON. DÜRR, I. V. D. Emi-  
nent. Princ. Elect. Mog. Iudicij aulici Consiliario, Iuris  
et Histor. Prof. Publ. Extraord. donec dein Erfordiam pro-  
fessus, et si iam Philosophiae absoluissimum studium, moder-  
nae tamen Physicae & Matheesi sub P. BERNARDO GRANT,  
Ord. S. Bened. Math. P. P. Extraord., viro versatissimo  
per tempus incubui: deinde primum docente Consul-  
tissimo Viro IOANNE GEORGIO BRÜCKMANN, I. V. D.  
Elect. Regim. Consiliario et Prof. Iuris Publ., postea  
praeente D. HIERONIMO FRIDERICO SCHORCH, S. P. C.  
Comit. Elect. Reg. Consiliar. P. P. Ord. alterum dige-  
storum cursum feliciter absolvui, dum me interim tam  
in scientia I. Publici, quam Iur. Canon. priuatissime  
erudiri allaborau: Theologiae autem fundamenta ex  
ore Viri profunde docti P. BONIFACII LESLIE, Ord. S. Be-  
ned. ad Scotos Ratisbonae Prof. Phil. et SS. Theol. D. et  
P. P. Ord. & monast. Scot. prioris percepit.

His nunc finitis me privata negotia in Patriam  
reuoacant.

Hactenus doctissimus Dominus Candidatus.  
Antequam vero ab Ille hac Vniuersitate Electorali di-  
scederet, Ordini nostro laudabile, quod init,  
consilium ad Summos in Vtroque Iure honores  
Academicos adscendendi aperuit. Itaque non so-  
lum

lum Ei binos ex Canonico et Ciuii iure textus endandos proposuimus, verum etiam ad Examen Rigosum Illum admisimus, in quo ad institutas quaestiones promte eruditeque respondit, et omnium suffragia meruit, ita vt Ei petiti honores summo iure meritoque decreti sint. Quare proxima die Veneris, d. XXIX. Mai. consuetam Lectionem Curforiam ad l. 23. C. de *Sacrosanct. Eccles.* recitatib, eaque ad finem perducta, Dissertationem Inauguralem

DE

### MATERIA FIDEI IN IVRE OBVENIENTE

sine Praefide tuebitur. Quibus actibus solennibus vt  
Magnificus Vniuersitatis Rector, Illustrissimi Comites,  
Per-Illustres Barones, Academiae Proceres et Ciues  
frequentes interesse dignentur, perquam officiosè et  
amanter rogantur, inuitantur. Publ. sub Sigillo Fa-  
cult. Iurid. d. XXIII. Mai. A. O. R. MDCCCLVI.




**ULB Halle**  
005 355 710

3





B.I.G.



30  
1736, 4

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS  
HIERONYMVS  
FRIDERICVS  
SCHORCH,  
ICTVS  
SACRI PALATII CAESAREI COMES, ELECTORAL. REGIM. CONSILIARIVS, MEMORATAE  
FACVLTATIS ADSESSOR ET PROFESSOR PANDECT. PVBL. ORDIN. CIVITAT. CONSVL SENIOR, NEC NON ACAD. ELECT. MOGVNT.  
SCIENT. VTIL. DIRECTOR,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.